



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi
liceant Conjugibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

bitanti, non vero opinanti, seu habenti opinionem probabilem; ergo cum probabile sit, non adesse impedimentum, possessio non stat pro impedimento, atque adeo potest peti, ac reddi debitum. Verum tamen est, quod secundum matrimonium non poterat licite celebrari, si tantum probabile erat, & non moraliter certum, priorem conjugem objisse; unde si mala fide contraxerunt, non poterunt petere debitum ob solam probabilitatem mortis prioris conjugis.

XII. Utrum autem cum opinione probabili, quod nullum detur impedimentum jure Ecclesiastico dirimens matrimonium possit illud contrahi?

In expositione primæ Thesæ ab Innoc. XI. proscriptæ fuisse offendimus, id licere; non secus ac licet absolvere cum opinione probabili de jurisdictione, quin exponatur periculo frustrationis Sacramentum; quia in his casibus Ecclesia defectum supplet. Si tamen impedimentum dirimat jure divino, nequit matrimonium contrahi cum sola probabilitate, quod non detur hujusmodi impedimentum; eo quod exponeretur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet contrahere secundum matrimonium cum sola probabilitate de morte alterius conjugis; quia impedimentum ligaminis dirimit matrimonium jure divino.

ARTICULUS IV.

Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant conjugibus?

I. *Conjugem in absentia alterius conjugis delectari venere de copula citra periculum pollutionis, videtur esse dumtaxat veniale. In viduis tamen id est mortale, sicut & in Sponsis.*

II. *Quid de tactibus, verbis turpibus, & aspectibus inhonestis inter conjuges?*

III. *Num Sponsis liceant oscula, & amplexus? & num citra mortale ordinari possint ad delectationem inde capiendam?*

IV. *Tactus impudici inter conjuges cum periculo pollutionis quandoam excusentur a culpa gravi?*

V. *Num sine lethali culpa possit conjugatus seipsum turpiter tangere præcise ob delectationem?*

VI. *Varie pœne statuta sunt Adulteris.*

VII. *Si conjugatus adulteretur cum alia conjugata, utriusque conjugium in confessione explicandum est.*

VIII. *Probabilius delectatio morosa non fert specialem malitiam in confessione explicandam per hoc, quod sit in conjugatis.*

IX. *Ut licite, & meritorie actus conjugalis exerceatur, octo observanda sunt.*

I. **Q**Uæritur primo; An liceat conjugibus delectatio morosa de copula?

Respondeo cum Sanch. lib. 9. disp. 44. secluso pollutionis periculo, non esse mortale delectari conjugem venere de copula in absentia alterius conjugis, etiamsi sequatur commotio spirituum, &c.; sed esse tantum veniale; cum careat debito fine, ad quem talis delectatio a natura dirigitur. Ratio autem, cur non sit mortale, est, quia copula inter conjuges est licita; ergo etiam delectatio de tali copula; cum delectatio ordinetur natura sua ad actum, de quo est delectatio, neque possit esse illicita delectatio de actu hic, & nunc licito.

Dices: In vidua delectatio de copula præterita est illicita; sicut etiam Sponsis de copula futura, (ut dicemus quæsito tertio) ergo etiam in conjugate delectatio de copula, quando al-

ter conjux est absens. Et ratio a priori est, quia talis delectatio est inchoatio quadam pollutionis, quæ illicita est extra vas debitum.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia Viduis est per se illicita copula, cum defecerit matrimonium; estque pariter Sponsis illicita ante matrimonium: Contra vero conjugibus in absentia est illicita tantum per accidens, seu potius est impossibilis, quam illicita; atque adeo quando non possunt uti copula, non videtur esse grave peccatum delectari de illa. Ad rationem a priori respondetur, delectationem veream ordinari natura sua non ad pollutionem extra vas, sed ad copulam cum proprio conjuge; quod autem in absentia conjugis non possit haberi copula, est per accidens.

II. Quæritur secundo; An secluso pollutionis periculo liceant conjugibus tactus, & aspectus inhonesti, ac verba turpia?

Respondeo, si tactus, & alia hujusmodi ordinentur ad copulam conjugalem, sunt liciti; quia licitum est juvare naturam ad actum rationi consonum mediis natura sua ordinatis ad illum: Si vero ordinentur ad majorem voluptatem in eo actu captandam, videtur culpa venialis; tum quia voluptas nimia est rationi dissona; tum etiam, quia si copula ob solam delectationem exercita est culpa venialis juxta propositionem 9. ab Innoc. XI. proscriptam, tactus pariter ad talem delectationem ordinati sunt culpa venialis. Non sunt tamen culpa mortalis, ut docet Sanch. loc. cit.; quia voluptas illa non quæritur extra matrimonium, sed in actu sua natura ordinato ad usum matrimonii: Et quod dicitur de tactibus impudicis, dicitur etiam de aspectibus, & verbis turpibus inter conjuges.

Notandum tamen cum eodem

Sanch, quod si quando propter dubium de valore matrimonii, vel propter votum castitatis illicita est conjugum petitio debiti; illicita pariter erit delectatio de copula, tactus, aspectus, &c., quæ ad copulam ordinantur: Si vero aliquando illicita sit conjugibus copula propter impedimentum extrinsecum, (quod scilicet non tollit jus ad actus maritales, verbi gratia, propter notabile salutis, vel abortus periculum, vel ob præceptum Ecclesiæ prohibentis conjugii debiti petitionem, quando affinitatem cum altero conjuge inique contraxit) in tali casu non sunt illicita sub mortali delectatio morosa, tactus, &c. quia delectatio, & tactus illi non opponuntur impedimento extrinseco; sicut opponitur copula: Et quando Ecclesiæ prohibet copulam in penam delicti commissi, nempe in penam affinitatis inique contractæ, non est talis pœna extendenda ad delectationes, tactus, &c., cum pœnæ sint semper restringendæ. Idem dicitur, si quis tantum voveret non petere debitum.

III. Quæritur tertio; Num sponsis illiciti sint tactus, aspectus, verba turpia, delectationes morosæ eo pacto, quo prohibentur solutis, an vero excusentur a mortali, sicuti in conjugatis?

Respondeo, quæst. 1. de Sponsal. art. 7. quæsit. ult. fuisse me ostendisse, sponsis de futuro eodem modo, ac solutis esse illicitos non solum tactus impudicos, (de quo nemo dubitat) sed etiam tactus non impudicos, in quibus intendatur delectatio sensitiva, & carnalis, ut communius, & probabilius docent Doctores contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 131.: Et idem dicas de aspectibus, & verbis turpibus. Si tamen oscula, & tactus non impudici non ordinentur ad delectationem carnalem, nec de-

tur periculum pollutionis, ac consensus in copulam, sed ordinentur ad fovendum mutuam amorem, aut ad benevolentiam conciliandam, sponſis permittuntur; ut docet Sanch. lib. 9. disp. 46. num. 51.; Qui contra communio-rem Doctorem cum Cajet., Navar., Ledesm., & aliis putat, probabile esse, quod citra mortale possint a sponſis oscula, & amplexus ordinari ad delectationem sensitivam, quæ ex ipsis oritur; Quod pariter docet Dian. loc. cit., & part. 2. tract. 17. resol. 6.

IV. Quæritur quarto; An tactus impudici, verba turpia, &c. inter conjugatos reddantur illicita ratione periculi pollutionis in altero conjugæ prævisi?

Respondeo, tactus hujusmodi non esse graviter illicitos, si fiant a conjugibus cum commotione spirituum, & distillatione, ut docet Sanch. disp. 45., & Tambur. lib. 7. cap. 3. §. 5. Ratio est, quia hoc non est grave damnum generationis in tali statu. Essent tamen peccatum mortale non conjugatis, quibus non est licita copula, ad quam ea ordinantur natura sua. Si tamen ab uno conjugæ fiant cum periculo pollutionis in se, vel in altero, tunc excusantur a mortali, quando datururgens causa exercendi hujusmodi tactus: Sicut enim excusantur a culpa amplexus inter fratrem, & sororem foris venientes ad indicandum amorem, & ne inurbani videantur, quamvis prævideatur periculum pollutionis; excusatur etiam Chirurgus tangens sceminam causa medicinæ adhibendæ: ita excusantur conjuges, quando datururgens causa eos tactus exercendi, videlicet, vel ad se præparandos ad copulam, vel ad indicandum, & fovendum mutuam amorem inter ipsos; Videretur enim magna austeritas, & amor minueretur, si universim ab hujusmodi tactibus abstinerent. Si vero sunt præcisè ob voluptatem captan-

dam, nullum est caput, unde a mortali excusentur, ut notat Tambur. loc. cit., quia in tali casu pollutio prævisa interpretative intenderetur.

V. Quæritur quinto; An conjugatus licite possit seipsum turpiter tangere, vel aspicere præcisè propter voluptatem, secluso periculo pollutionis?

Respondeo, Sanch. lib. 9. disp. 44., Hurt., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 137. docere, id esse solum veniale in conjugatis: sicut in iisdem est solum venialis morosa delectatio de copula in absentia conjugis. Et ratio est, quia quicumque tactus voluptuosus in conjugatis ex se refertur ad copulam, quæ ipsis est jam licita. Alii tamen cum Joanne Sancio apud Dian. part. 9. tract. 8. resol. 31., & 44. putant, esse mortale; quia est intrinsece malum uti proprio corpore ad explendam libidinem. Tambur. vero lib. 7. cap. 3. §. 5. putat, utramque sententiam esse probabilem.

VI. Quæritur sexto; Quænam pœna statuta sit conjugæ adultero?

Respondeo, quintuplicem esse statutam; Prima est, ut dos, & quæ propter dotem donata sunt amittantur, non tamen paraphernalia. Secunda, ut amittat jus petendi debitum conjugale. Tertia, ut incurrat aliquando obligationem restitutionis. Quarta, mors a Judice infligenda ipsi adulteræ, non tamen adultero. Quinta, ut propter adulterium possit fieri divortium.

Circa primam pœnam notandum, quod, ut vir acquirat dotem amissam ab adultera, requiratur sententia Judicis; Ante sententiam vero potest vir dotem sibi retinere, si possidet illam, (nisi tamen ipse etiam sit adulter) non tamen eripere. Circa secundam; requiritur etiam accusatio, & sententia Judicis, ut adulter amittat jus petendi debitum; potest tamen conjux

in-

innocens negare debitum adultero ; etenim frangenti fidem fides non debetur ; quod si conjux innocens sciat adulterium alterius , & sine vi , vel metu etiam levi copulam illi reddat , aut petat , vel rideat , aut confabuletur cum illo , non potest amplius deinde illum accusare , aut negare debitum . Ratio est , quia per illos actus cessit juri per adulterium acquisito , & injuria semel remissa non amplius reviviscit . Circa tertiam , quando certum est , filium aliquem natum esse ex adulterio , tenetur adulter , & adultera tam ad alimenta , quam ad compensandum damnum , quod forte alius subnascitur , ut late explicat Tambur. loc. cit.

VII. Notandum præterea , quod in confessione conjugatus peccans cum altera conjugata debeat utriusque conjugium explicare ; tum quia peccat contra jus suæ conjugis , & contra jus conjugis alterius ; tum etiam , quia diversum est peccatum , quod committit patrando adulterium contra propriam conjugem , a peccato , quod committit cooperando cum altera conjugata , ut illa contra jus sui conjugis peccet . Præterea Sodomia est adulterium in conjugatis ; sicut etiam molities , & bestialitas ; atque adeo in confessione explicandum est , quando a conjugato peccata hæc committuntur , cum fiat in iis injuria alteri conjugis : Et idem dicas de osculis , & tactibus impudicis , ut videre est apud Sanch. disp. 18.

VIII. Circa delectationes morosas dubium est , an debeant explicari in confessione , ut trahentes malitiam adulterii , quando habentur a conjugatis ? Affirmat Vasq. , quia scilicet conjugatus fidem matrimonii obligat de non collocando non solum corpus , sed etiam mentem in aliud objectum turpe ; atque adeo peccatum hoc non solum est contra castitatem , sed pa-

riter est adulterium ; cum sit contra fidem matrimonii . Verum Hurt. cum Tambur. lib. 19. cap. 3. id negat ; quia sine ullo fundamento dicitur , quod fides matrimonii exigat non collocare mentem in aliena .

Notandum demum , quod qui Sodomiam cum propria conjugate commisit , non possit in confessione dicere : Ego conjugatus commisi sodomiam cum conjugata , sed debeat dicere , quod commiserit illam cum propria conjugate : Quamvis probabile sit , peccatum complicitis posse celari , quando illi infamia inureretur apud Confessarium . Ubi Filliuc. advertit , quod confessarius prudens esse debeat in his circumstantiis exquirendis , ne se , vel penitentem excitet ad aliquam tentationem : Et Con. docet , præstare aliquando , Sacerdotem minus perfecte peccatum penitentis cognoscere , quam vel sibi , vel illi aliquod scandalum creare , & esse nimium . Et Angelus hæc addit : Confiteatur mulier , quod fuerit , verbi gratia , cognata extra vas debitum , non quærat postea Confessarius , in quo loco , vel quomodo , & hujusmodi ; sicut faciunt quidam , qui potius sunt contaminatores , quam Confessores .

IX. Quæritur ultimo ; quid servandum in usu matrimonii a conjugibus ?

Respondeo , ut actus matrimonialis sit licitus , & meritorius , servanda sunt a conjugibus , quæ duobus illis versiculis continentur .

Sit modus , & finis , sine damno solve , cohere ;

Sit locus , & tempus , Tactus , ut spernito votum .

Primo enim peccatur contra *Modum* , quando non servatur situs , aut modus congregandi , aut debitum vas . Secundo , *Finis* debet esse honestus ; verbi gratia , procreatio filiorum , fuga incontinentie , &c. , ut di-

ximus art. 1. Tertio, circa particulam, *Sine damno*, diximus posse negari debitum, quando est periculum gravis morbi, & damni; Est etiam quaedam inhonestas, & turpitud, & peccatum veniale accedere ad uxorem tempore menstrui; Est vero mortale accedere ad illam gravidam cum periculo abortus; secus vero si tale periculum absit. Quarto, per particulam, *Solve*, designatur obligatio reddendi debitum, juxta dicta art. 2. Quinto, per particulam, *Cohare*, significatur obligatio cohabitandi, secundo gravi damno animæ, vel corporis: Si tamen alter conjugum timeat sibi a cohabitando infectionem lepræ, verbi gratia, aut alterius morbi contagiosi,

quamvis non teneatur cohabitare, teneatur tamen non ita longe ab altero recedere, ut non possit cætera obsequia exhibere; non enim eximitur ab aliis obsequiis præstandis, ut notant Reginald. lib. 31., & Sanch. Sexto, per particulam, *Sit locus, & tempus*, significatur in quibusdam locis, & nonnullis temporibus abstinendum ab usu conjugali, juxta dicta art. 1. Septimo, per particulam, *Tactus*, significatur, tactus esse permisos conjugibus, prout explicavimus art. 4. Demum, per particulam, *Ne spernito votum*, denotatur, astrictum voto castitatis non posse debitum petere, juxta ea, quæ diximus art. 3.

Q U Æ S T I O VIII.

De Divortio.

Divortium est solutio matrimonii, non quidem quoad vinculum, (quod ut diximus quaest. 3. art. 3. est indissolubile) sed quoad torum, sive etiam cohabitationem: possunt enim aliquando conjuges, manente vinculo matrimoniali, a se mutuo divertere, & inde dicitur divortium.

Duplex autem datur causa divortii; Altera ex mutuo consensu citra alterius culpam, verbi gratia, per ingressum in Religionem; Altera ob culpam alterius conjugis, præsertim ob adulterium. De Divortio in utroque casu hic agendum; Inquirentes demum alias causas, propter quas fieri potest divortium ad tempus, videlicet quousque causa illa perseverent.

ARTICULUS I.

De Divortio ex mutuo consensu.

- I. *Quadrupliciter possunt conjuges ex mutuo consensu facere divortium.*
- II. *Si maritus de consensu uxoris Sacris iniiciatur, hac, si sit juvenis, debet ingredi Religionem.*
- III. *Num uxor senex possit cum marito Sacerdote cohabitare?*

I. **Q**uaritur, Quot modis possint conjuges divortium facere ex mutuo consensu?

Respondeo, posse quadrupliciter. Primo, si sine ullo voto separentur toro. Secundo, si separentur, ita ut uterque voveat castitatem. Tertio, ut vir Sacros Ordines suscipiat, uxore ingrediente in Religionem, aut manente in saeculo. Quarto, ut unus solus, aut etiam uterque Religionem ingrediatur. Et sane certum est, posse conjuges, ut melius Deo inserviant,
aut